

corruptum omissa provincia in Pannionam rediisse, quem 1409  
 barbarus ad se reversum liquefacto auro necarit: nec ita  
 multo post cum quadraginta barbarorum millibus eum in  
 Italiam venisse. Sed alii numerum magnopere extenuant.  
 Fuitque recentior illa expeditio omnino majoris apparatus,  
 sed Pipiana nihilo fœlicior: quippe cuius conatus vix Car-  
 norum fines excessere. Quidam annales habent, uno tem-  
 pore Sigismundum cum Pipo Venetis bellum intulisse. Sed  
 sive ita fuerit, sive (quod plures tenent) diverso sit tem-  
 pore bellatum: constans fama est, Venetos ad primos bel-  
 li motus militem & arma studio comparasse, copiarumque  
 omnium imperium Carolo Malatestæ, eximia virtutis vi-  
 ro, quem domo ad hoc ipsum accersiverant, a Patribus  
 decretum. Ferunt, in Taurisinis & in Feltrensi agro per  
 occasionem alterius partis nonnunquam pugnatum ac cruent-  
 ta acie semper tanta a barbaro fævitia bellatum accepi-  
 mus, ut ne ab iis quidem, quibus fortuna belli pepercis-  
 set, injuriam abstinerent: sed captivos ad unum omnes  
 mutilatis manibus, luminibus etiam privarent. Quum igi-  
 tur in hunc modum aliquandiu bellatum esset, legatis ad  
 Regem missis, Francisco Foscari, Thoma Mocenigo, qui  
 postea Principes fuere, & Antonio Cornario, inducias Ve-  
 neti cum Rege in quinquennium pepigere.

Positis cum Sigismundo armis, haud multo post Ste-  
 nus, qui annos tredecim Reipublicæ præfuerat, vita de-  
 cessit: ejus corpus ad Marinæ ædem est situm. Thomas  
 Mocenigus absens in demortui locum surrogatus est. Is-  
 tum Cremonæ legati munere apud Gabrinum Fundulum  
 fungebatur: unde accersitus inter publicas privatasque  
 gratulationes urbem est ingressus. Recentri hujus administra-  
 tione, decreto Patrum magistratus quidam sunt in Ri-  
 vumaltum translati. Tribus mensis quæ ab initio ibi fue-  
 runt, quarta novissime Prosenetica addita est, quæ & vul-  
 go *Missteria* dicitur. Eredæ ad id ædes eodem loco am-  
 plissimæ, quæ ferrariæ ripæ imminent, in quibus quatuor  
 illi magistratus hodie continentur. Fuit ab initio illic ma-  
 ximum urbis vectigal; mox ex uno duo inde vectigalia

Gg facta,

*Nec multo  
post Sigis-  
mundus sub-  
secutus.*

1410

1414  
*Thomas  
Mocenigus  
Dux crea-  
tur.*

*Novi qui-  
dam Magi-  
stratus in  
urbe confi-  
runt.*